„ quàm pro utilitate ejus ſolutum eſt : adeoque
„ fidejuſſores hac mandati actione deſtitutos, ſo-
„ lummodo ad ſubſidiariam hâc in re negotio-
„ rum geſtorum actionem refugium habere ; per
„ quam uti non ultra recuperant, quam quate-
„ nus fidejubèndo ac ſolvendo utiliter pupilli,
„ furioſi, vel prodigi geſſerunt negotia : ita nec
„ pupillis cæterisque nocent ; ſed id unum obti-
„ nent, ne pupilli ſimilesque cum eorum detrimen-
„ to contra naturalem æquitatem locupletiores fi-
„ ant, *leg.* 13. §. 1. & *leg.* 14. *ff. de condict. indebit.* „
Elegantiores ſiquis cupiat nugas, adeat ille eruditiſſimi AVERANII *interpret. jur. l.* 2. *c.* 14. & 15.

21. Adeò ſe ſe fatigant, ſudantque viri Doctiſſimi ; ut, dum â vero nimiùm quantùm aberrarunt, dictis fucum ſaltèm concilient Non ſinamus igitur hiſce tenebris alacriora poſthac detineri ingenia ; ſed eò ducamus, quò vocat plana veritas, invitatque.

CAPUT IV.

PROPONITUR NOSTRA SENTENTIA : ILLUSTRATUR EXEMPLIS, FIRMATUR LEGIBUS ET RATIONE.

22. Controverſiam tam ancipitem duabus expediemus regulis ; ad harum amuſſim ſic

ſi proceſſeris ; nullus te offendet ſcopulus. PRIMA : *qui ita accedit alieno negotio, ut ſimpliciter fidejubeat, nunquàm durius, nunquam arctius* (nunquam *extenſivè*, nunquam *intenſivè* magis) *obligatur, quàm debitor principalis.* Altera : *qui vero ita accedit, ut vel naturalem, vel legalem alterius ſuppleat defectum, ſolus obligatur.* Hæc dicendorum ſumma eſt.

23. Utriusque regulæ argumentum, & (quod caput rei eſt) verum ſenſum ut eo faciliùs capias, exempla quædam lucis causâ addere lubet. Qui pro pupillo ſimpliciter fidejubet, nullo modo obligâtur magis, quàm pupillus : qui vero ita fidejubet, ut ſimul ætatis velit ſupplere defectum, omnino obligatur magis, arctiúsque, quàm ipſe pupillus. Qui pro minore fidejubet ſimpliciter, non firmiore obſtringitur vinculo, quàm ipſe minor ; ſi vero acceſſerit ad ſupplendum ætatis defectum, reſtituto minore, non eſt reſtituendus. Qui pro muliere fidejubet, eodem, quo principalis debitrix, gaudebit beneficio : ubi autem in ſupplementum facultatis (fœminis per *SCtum Vellej.* ademptæ) venerit ; carebit hic, gaudebit illa exceptionis beneficio. Pro prodigo qui fidejubet, æquè parùm obligatur, ac ipſe prodigus : ſi vero

id agat, ut prodigi incapacitas non obſit creditori; ſubducto prodigo ſolus manet obſtrictus. Qui tandem pro furioſo fidem ſimpliciter interponit, non niſi furioſi ſubit vices: ſi verò ſpoponderit, naturalem defectum ſuo fore periculo; rursùs, ſubducto principali, obligatus manet fidejuſſor.

24 Ne autem putes, pro arbitrio noſtro hæc ita dici; audi ULPIANUM, in *leg.* 13. *ff. de minor.* ita diſſerentem: „ in causæ cognitione ver-
„ ſabitur, utrum ſoli ei (minori) ſuccurrendum
„ ſit, an etiam his qui pro eo obligati ſunt: ut
„ puta fidejuſſoribus. *Itaque ſi, cùm ſcirem mino-*
„ *rem & ei fidem non haberem, tu fidejuſſeris pro*
„ *eo*, non eſt æquum, fidejuſſori in necem meam
„ ſubveniri; ſed potius ipſi deneganda erit man-
„ dati actio. In ſummâ perpendendum erit præ-
„ tori cui potiùs ſubveniat, utrum creditori, an
„ fidejuſſori: nam minor captus neutri tenebi-
„ tur. „ Sanè ſi cauſæ cognitione ſit opùs, ſitque diſcutiendum ſedulo, an ſoli minori, an vero & fidejuſſori ejus ſit ſuccurrendum; ſi perpendendum pætori, cui potiùs ſubveniat, utrum creditori, an fidejuſſori; quo jure dixeris, hunc illi (ſubducto debitore principali) ſemper & ſine diſcrimine manere obligatum? Alia omnino ULPIANI ſen-

ſententia. Diſertè enim dicit tunc tantùm non eſſe juvandum fidejuſſorem, ſi pro minore, cui creditor ob ætatis beneficium fidem habere nolebat, ſe ſoluturum ſpoponderit. Repetamus magni Juriſconſulti verba, ut intelligas, quàm doctrina noſtra in iis ſit clarè expreſſa; *itaque* (ſic ait) *Si cùm ſcirem minorem, & ei fidem non haberem, tu fidejuſſeris pro eo; non eſt æquum, fidejuſſori in necem meam ſubveniri: ſed potiùs ipſi denegandа erit mandati actio.... cùm minor captus neutri teneatur.* Nempè nolebat, qui mutuum rogabatur, petenti fidem habere: quia hunc ſciebat minorem; ideoque ſub ætatis clypeo (quo ad pecuniæ repetitionem) inexpugnabilem fore, timebat. Quid fidejuſſor? adversùs hæc tutum eſſe creditorem, ſciens prudensque jubebat; atque ita defectum annorum, conſenûs, obligationisque, ſupplendum in ſe recipiebat.

25. Neque fas eſt, aliud dici de fidejuſſore pupilli, filiifamilias, mulieris, prodigi, & furioſi. Hos enim ſive omnino non obligatos putes: ſive exceptione, aut reſtitutione tutos dixeris; eodem gaudebit beneficio fidejuſſor: niſi (quod jam auditum) *defectum eorum* (ſit naturalis, ſit legalis) *in ſe receperit* ſupplendum.

26. Habet autem hoc postremum, rationem gravissimam, eamque omnino evidentem. Talis enim novam, hancque sibi soli propriam, facit obligationem; non subit alienam: quippe qui in se recipit præstandum, quod alter non promisit; quin, quod ne promittere quidem poterat. Nequit sanè pupillus velle efficaciter, ut sibi, non creditori, ætatis noceat immaturitas. Nequid minor; nisi fortè (de quod nulla hìc nobis est disceptatio) ope Juramenti. Possit-ne prodigus facultate, sibi legitimè ademptâ uti legitimè? possit-ne furiosus efficere, ut non careat rationis usu; indeque consensu? Horum proinde defectuum quisquis in se recipit supplementum, propriam (quod diximus) novamque facit, non alienam (nulla enim est, nec esse potest) subit obligationem: nempe sciens prudensque spondet, suo fore periculo, quid quid damni immineat creditori, qui roganti mutuum (fuerit pupillus, minor, prodigus furiosus) fidem habere nolebat.

27. Unde consequens est, eum, qui ita se interponit, dici tantùm (non esse) fidejussorem: indeque his in circumstantiis (non aliàs) principalem debitorem verè induere.

28. Gemina id genus exempla non adeo sunt

ſunt infrequentia in jure noſtro. Duo delibabimus. „ Si quis alium (ita habet §. 3. *Inſtit. de* „ *inutilib. ſtip.*) daturum, facturum-ve quid ſpo- „ ponderit, non obligatur: veluti ſi ſpondeat, „ Titium quinque aureos daturum. Quod ſi „ *effecturum ſe*, ut Titius daret, ſpoſponderit, „ obligatur. „ Alterum ſnppeditat *lex* 8 §. 1. *ad SCtum Vellej.* „ Si mulier (ita ibidem ULPIA- „ NUS) intervenerit apud tutores filii ſui, ut hi „ prædia ejus diſtraherent, & indemnitatem eis „ repromiſerit. PAPINIANUS *lib.* 9. *quæſt.* non „ putat, eam interceſſiſſe: *nullam enim obligatio-* „ *nem alienam recepiſſe, neque veterem, neque no-* „ *vam, ſed ipſam feciſſe hanc obligationem.*

29. Contrahamus dicta. Quæ principali debitori (hæc regula eſt) ſuppetunt beneficia, eadem ſe diffundunt in fidejuſſorem: niſi (en exceptionem!) hic ita acceſſerit, ut illius ſuppleat defectum. Regulam quod attinet, redi ad dicta *n.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Quoad exceptionem vide *n.* 22. 23. 24. 25. 26. & 27.

CAPUT V.

SATISFIT CONTRARIIS.

30. Quæ doctrinæ noſtræ adverſari videntur, non ſunt ejusdem generis: quædàm enim